

Da das Fragment von dem Erlass Karls nur wenige Zeilen enthält, bringe ich im Folgenden auch diese mit zum Abdruck.

Ramwoldus nomine non meritis abbas¹ dilectissimis fratribus in coenobio sancti martyris Emmerammi atque pontificis sub regulari norma degentibus. Ad laudem domini ac salvatoris nostri Iesu Christi iam totus orbis in credulitate sanctae Trinitatis exultat, baptismatis gratia foecundatus postpositisque simulacrorum cultibus toto mentis desiderio ad caelestam² patriam anhelans, corde, lingua, manu conditorem suum adorare non cessat. Ex cuius igitur latere sancta ipsius fabricata est ecclesia, fide ac devotione³ terrarum orbe prelucens ab ortu solis usque in occasum, nomen eius laudabile ac venerabile colit et adorat, loca habitationis ipsius ritu Salomonis omni suppellectile decorans, inexhausto deliciarum splendore supra petram fundare decertat. Nos vero, qui eiusdem ecclesiae membra sumus, crismatis privilegio Domino assignati, ob reverentiam servitutis illius obque honorem sanctissimi patroni nostri Emmerammi intus et foris omnia necessaria nostri monasterii vestro rogatu reparare studemus, maxime in librorum cultibus, quorum doctrina poene constat omnis mundus. Venerabilium ergo patrum limpidius dicta perscrutantes, hisque utiliora quæque sanctæ matri ecclesiae colligentes⁴, iuxta constitutionem gloriosissimi imperatoris Francorum Karoli Romanorumque patricii per anni circulum seriem omeliarum et sermonum ad communem nostri monasterii utilitatem in duo voluminum corpora compegimus⁵. Ob hoc, diligentissime lector⁶, si huius spiritalis pascuae avidus exstiteris camposque paginarum saniore intellectu rimare volueris, si quid salubre ac dulcoratum in ipsis tua dilectio persenserit, omnipotentis Dei misericordiam laudare curato mihi que benedicere digneris tuæ caritatis eulogio.

Explicit Prologus.

Item Prologus.

Carolus⁷ Dei fretus auxilio Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum religiosis lectoribus nostrae ditioni subiectis. Cum divina nos semper domi forisque clementia sive in bellorum eventibus —.

1) 'abb.' Hs. 2) Sic! 3) Von 'dev' sind in der Hs. nur Spuren übrig. 4) Der letzte Buchstabe ist durch Ueberkleben verdeckt. 5) 'comp:gitus' Hs. 6) '::ctor' Hs. 7) Capit. I, p. 80.